

pensandi in irregularitatibus et suspensionibus ex delicto occulto provenientius (excepta quæ provenit ex homicidio), non item in aliis pœnis lege Pontificia latis, ut patet legendi textum. Et quoniam procuratio abortus fœtus animati est etiam homicidium voluntarium, neque in irregularitate ex illo proveniente dispensare poterit episcopus.

25. *Doctrina practica. Quam miseri sint clerici, quovis modo abortum fœtus animati, procurantes, vel ad eum juvantes, consulentes.* — Infertur, quam infelices sint præsertim clerici abortum fœtus animati directe, vel indirecte procurantes, aut consilium vel auxilium quovis modo ad illum præbentes, sive sint curati, sive simplices, sive beneficium habeant, sive non. Si enim nullum pro illo tempore adhuc habent beneficium, nullum amplius acquirere valent, nisi dispensetur a Papa, quantumvis delictum sit occultum: si habent beneficium, illud quidem ante sententiam criminis declaratoriam dimittere non tenentur, tamen ante eandem sententiam, et licet delictum sit occultum, sunt ipso facto irregulares; consequenter præter alios irregularitatis effectus non amplius celebrare Missas, quod tamen plurima beneficia requirunt, ut proin saltem ex hoc capite ante omnem sententiam in foro conscientie teneantur dimittere beneficia; quia obligationi vigore beneficii impositæ satisfacere non amplius possunt, nisi a Papa dispensetur; quod difficillime, et non nisi urgentissimis de causis fieri potest, ut habet Bulla Sixtina cit. § 8, circa finem.

26. *Plura de procuratore abortus. Remissive.* — Majorem et exactam discussionem de abortu qui desiderat, legat citatum Patritium Sporer in Theolog. sacrament. p. 4, cap. iv, per totum. ubi ex professo, et revera egregie hanc materiam pertractat, si excipis id, quod supra num. 22, impugnavimus.

TITULUS XI.

De infantibus, et languidis expositis.

1. *Ratio continuationis.* — Quia parricidio propinqua, adeoque simplici homicidio pejor est expositio infantum, utpote qua vel mors

infantis per exponentem intenditur, vel per accidens non raro sequitur, adeo ut l. *Necare, 4, ff. de Agnoscend. et alend. liber.* expresse dicatur: Necare videtur non tantum is, qui partum præfocat, sed et is, qui abjicit, et qui alimoniam denegat, et is qui publicis locis misericordie causa exponit, quam ipse non habet: ideo post præcedentem titulum, de hac expositione præsens recto ordine ponitur rubrica.

2. *Expositio infantum, quid? Infans, quid dicatur?* — Quæritur I. Quid ad præsens intelligatur per expositionem infantum? An, et qualiter illicita? ac quibus sub pœnis prohibita? Resp. I. Expositio infantum ad præsens est, et dicitur illa, qua vel proles recens nata, vel saltem septennio minor (infra hanc enim ætatem proles constituta, infans dicitur, l. *Infanti, 18, et § 4, C. de jure deliberandi*, ibi: *Infanti, id est, minori septem annis*) exponitur, et derelinquitur ad hoc, ut vel omni alimento et auxilio destituta pereat, vel ab aliis alenda et educanda assumatur. Ita in re communis, patebitque ex sequentibus.

3. *Expositio infantum ordinarie est graviter peccaminosa.* — Resp. II. Expositio infantum ordinarie est graviter peccaminosa, non tantum si fit, ut infans pereat, sed etiam si fit, ut ab aliis alenda et educanda assumatur. Prima pars caret omni controversia; quia talis facta expositio vero homicidio æquiparatur. arg. cit. l. *Necare, 4, ff. De liber. agnoscend. et alend.* juncta L. 2. C. h. t. et *Novella 153, cap. III*, prout etiam tanquam homicidium punitur, juxta dicenda infra nu. 7.

4. *Etsi non fiat animo necandi infantem, sed exponendi illum misericordie aliorum.* — Altera pars docetur communi, et quasi unanimi doctorum; quia etiam tali modo gravissime prohibita est expositio ab utroque jure c. un. h. t. l. *Necare, 4, ff. de Agnoscend. et alend. liber.* item L. 2 et 3. C. h. t. junct. *Novella 153*, ubi in princ. expositio infantum universaliter vocatur crimen a sensu humano alienum, et c. 1, ibid. ad finem, taliter exponentes, pejores homicidis pronuntiantur illis verbis: Qui omni inhumanitate et crudelitate referti sint, tanto deteriores homicidio pollutis, quanto calamitosioribus id inferunt. Ratio est, quia licet mortem proles non intendant, tamen, quantum in ipsis est, eam occidere videntur, hoc ipso, quod alimentis destitutam,

periculo mortis exponant, ignari, num aliquis, qui prolem, antequam moriatur, assumat et alat, per jura citata, et can. *Pasce, 21, dist. 86, et can. fin. dist. 87.*

5. *Et avertendi propriam infamiam, honoremque suum tenendi. Ubi justa est offensio, ibi injusta est defensio.* — Nec excusat a peccato parentem, si dicat, se non ex malevolentia erga prolem, sed ad declinandam infamiam exponere infantem; ad hanc autem declinandam, et propriam famam, aut honorem tuendum, præstat non modo prolis, sed et propriam vitam periculo exponere, arg. l. *Isti quidem, 8, § 2, ff. Quod metus causa.* Nam contra est, quod fama et honor æquiparetur vitæ, ac propterea ad tuendum illum liceat quidem propriam vel alienam vitam periculo exponere contra injustum violatorem, seu si ab alio injuste invadatur, vel auferatur; neutiquam tamen alium occidere, vel periculo vitæ exponere potest, ob quem, aut intuitu cujus quis in fama et honore juste læditur, aut patitur, juxta illud vulgatum: Ubi justa est offensio, ibi injusta est defensio. Consequenter, cum ad propositum nemo injuste violet famam, et honorem parentis, matris v. g. illicite imprægnatæ, sed ipsamet una cum corpore famam et honorem suum sponte prostituerit, hoc ipso, quod prolem naturaliter nascituram, et inde infamiam suam orituram providere debuerit, ac propterea in fama merito et juste patitur, non potest ad eam tuendam contra tot leges exponere innocentem infantem periculo vitæ; alias enim sequeretur, quod ad famam tuendam posset quis etiam abortum fœtus animati, sive inanimati procurare, et natum propriis manibus occidere; cum non referat, sive ferro, aut violenta manu, sive fame, sive alimentorum subtractione infans occidatur, arg. cit. l. *Necare, 4, ff. De agnoscend. et alend. liber.* et L. 2. C. h. t. *Novell. 153, cap. 1.*

6. *An, et quando licitum sit exponere infantem?* — Dicitur autem notanter in conclusione ordinarie loquendo, nam dantur casus extraordinarii, in quibus expositio infantum culpa vacat, et pœna; si nempe parens ob summam egestatem, vel aliam justam causam alere non valens prolem, exponit illam in tali tempore et loco, ubi certum est, prolem ab aliis statim assumendam, et educandam, nullumque interea mortis periculum fore; prout præcipue fieri

potest in illis civitatibus et locis, in quibus pro expositis hujusmodi, specialiter erecta habentur xenodochia, aut orphanotrophia. Hujusmodi in casu expositionem vacare culpa, cum aliis docet Gonzalez in c. un. h. t. num. 10, in fine, Barbosa, *De officio, et potestat. episc. Allegat. 51, numer. 147.*

7. *Parens in sylva aut loco deserto exponens infantem, pœna mortis punitur, si infans ibi perit.* — Quæritur II. Quibus pœnis subjaceat parens infantem exponens? Resp. I. Quamvis nonnulli cum Glossa l. fin. C. de patrib. qui filios distrax. universaliter et indistincte velint parentes, qui liberos exponunt, de jure civili pœnæ capitalis reos esse, tamen rectius cum distinctione dicitur, quod parens, qui per se vel per alium exponit infantem, in sylva, vel deserto, aut tali loco, vel modo, ut mortem illius prævidere prudenter debuerit, etsi non intenderit (et multo magis si intenderit) ipsaque mors sequatur, jure civili punitur ultimo supplicio. Bartolus in l. *Necare, 4, ff. De Agnoscend. et alend. liber.* Bossæus tit. de Homicidio. numer. 7. Christoph. Blumberger *Ad Constitut. Carolin. a 132, num. 1, arg. cit. l. Necare, 4, ff. De agnoscend. et alend. liber. et Constitut. criminal. Caroli V. art. 132.*

8. *Quæ pœna, si ibi non perit aut in via publica exponitur, et perit?* — Si autem infans in præfato aliquo loco deserto exponitur quidem, sed vivus adhuc reperitur; vel si in loco, et via frequentata prætereuntium misericordie ac charitati, aut in hospitali, vel orphanotrophio in circumstantiis ex se periculo mortis carentibus exponitur, et tamen mortuus reperiatur expositus infans, fustigatione, aut alia pœna corporis afflictiva plectendus videtur parens directe, aut indirecte exponens. Carpzovius *Pract. criminal. p. 1, q. 10, n. 11, et desumitur ex cit. Constitut. crimin. Caroli V. art. 132.*

9. *Quid si in via publica aut hospitali exponitur et non perit?* — Si vero in via communi et publica, aut ecclesia, vel hospitali frequentata ita exponitur, ut nullum periculum mortis subsit, indeque vivus et incolumis reperiatur infans, relegatione, aut etiam mitiori alia pœna arbitrio judicis sufficienter puniri exponentem censet Menochius de *Arbitrar. judic. casu 396, n. 5, et satis clare desumitur ex cit. Constitut. crimin. Caroli V. art. 132.*

10. *Subinde expositio vacat culpa et pœna.*

— Quod si præter hæc accedat etiam talis egestas parentis, ut prolem alere nequeat, a culpa et pœna civili immunis erit, præsertim in locis, ubi pro hujusmodi expositis specialiter erecta habentur hospitalia, vel orphanotrophia, juxta dicta numer. 6.

11. *Parens exponens infantem, perdit patriam potestatem.* — Resp. II. Parens directe, aut indirecte exponens infantem, aut expositioni consentiens, vel factam ratihabens, ipso facto perdit patriam potestatem, nec jus nec nomen patris, vel matris amplius retinet, nisi in quantum infanti favorabile est, adeo ut expositus alimenta ab exponentibus parentibus semper prætere, et iis succedere valeat, non autem hi vicissim, ita clare decisum habetur c. un. h. t. et L. 2, 3 et c. C. eod. Ratio est, quia parens expositum filium censere habetur pro derelicto, l. fin. ff. *pro Derelicto*. Nec enim suum quis dicere poterit, quem pereuntem contempserit, ut dicitur cit. l. 2. C. h. t.

12. *In locis, ubi pro expositis specialiter erecta et fundata extant orphanotrophia, aut hospitalia, hæc tenentur assumere et alere infantem; ubi vero non extant, tenetur ad id Ecclesia, vel rector illius. Ecclesia aurum habet non ut servet, sed ut eroget, et subveniat necessitatibus.* — Quæritur III. Quis alimentare et educare debeat infantes expositos, quorum parentes ignorantur? Et quid juris aut oneris accrescat expositum ex obligatione, vel charitate assumptibus, et educantibus? Resp. I. Si in aliquo loco extant hospitalia, vel orphanotrophia pro hujusmodi expositis specialiter erecta, in his recipi, et ex redditibus illorum ali ac educari debent: communis, et certa. Ratio patet, quia, uti supponitur, ita exigit fundatoris pia intentio, quam adimplere utique oportet; per vulgaria juris: Si vero hujusmodi pia loca alicubi non extant, et nullus de populo gratis et sponte assumere velit educandum infantem, Ecclesia aut rector illius, vel si hæc sufficientes redditus non habeat, communitas, in qua tales expositi invenientur, alimentare et educare debet expositum. Barbosa in c. un. h. t. nu. 4. *Surdus de Aliment.* Tit. 1, quæst. 9. Abbas in c. un. h. t. nu. 3. Pirhing h. t. nu. fin. Ratio de Ecclesia est; quia cum redditus ecclesiastici sint patrimonium Christi et pauperum, procul dubio Ecclesiarum rectores tali exposito pauperculo aliis mediis destituto præ aliis tenentur de præfatis redditibus succurrere.

Servit huc, quod dicitur can. *Aurum*. 70, *caus.* 12, q. 2, ibi: Aurum Ecclesia habet, non ut servet, sed ut eroget, ut subveniat in necessitatibus.

13. *Deficientibus vero hujus redditibus tenetur communitas, et tandem singuli in solidum.* — Quoad communitatem vero deficientibus Ecclesiæ redditibus, ratio est, qui juxta unanimem omnes et singuli tenentur succurrere cuivis in extrema necessitate constituto, arg. can. *Pasce*, 21, dist. 36. Et quoniam nullus ab hac obligatione immunis est, æquam et justum est, ut tota communitas proportionaliter concurrat. Quod si communitas ex negligentia vel malitia non faceret, quivis in solidum teneretur; quia quemlibet tenet gravis obligatio juvandi proximum in extrema necessitate constitutum; prout amplius theologi.

14. *Assumens et educans expositum non acquirit jus in ejus personam.* — Resp. II. Qui expositum infantem assumunt et alunt, nullum propterea acquirunt jus, aut potestatem in ejus personam. Ita clarè statuitur c. un. h. t. ibi: « Sane qui hos suscipiunt, non possunt propter hoc in eorum personis jus aliquod vindicare. » Concordat l. *Sancimus*, 3, c. eod. ubi conclusio magis declaratur et rationibus firmatur, præcipue vero ne infans, qui non peccavit, servituti subiciatur, et privetur libertate, quæ summe favorabilis est, § 1, *Instit. de Jure person.*

15. *Pia loca aut Ecclesiæ rectores, si expositum educant, non possunt amplius repetere expensas.* — Resp. III. Si expositum suscipit, ac sustentavit Ecclesia, aut hospitale, episcopus, ac alius rector Ecclesiæ, vel aliquis ad hunc finem erectus locus, non possunt expensæ in alimenta et educationem expositi factæ repeti. Azorius, part. II, *Institut.* lib. II, cap. xxvi, quæst. 1; Pirhing, h. t. cum communi. Ratio est, quia ex pietate et misericordia, aut ex officio fieri debent, et censentur factæ, arg. can. *Sacrorum*, 15, cau. 12, quæst. 2.

16. *An et quando alii expositum assumentes et alentes repetere valeant expensas.* — Si vero ab extraneo aliquo expositus, susceptus et educatus fuit, habet is jus repetendi expensas a parente exponente. Barbosa, in c. un. h. t. n. 8; Stephan. Gratian. *Discept. forens.* cap. cclxvii, n. 41; Pirhing, h. t. arg. l. 1, c. h. t. et l. *Patrem*, 16, c. *de Nuptiis*. Ratio est, quia licet etiam talis suscipiens, actum misericordiæ erga expositum exercere

intenderit, tamen non præsumitur nefario parenti beneficium præstare, aut in ejus gratiam infantem educare; consequenter alimentorum et educationis expensas repetere potest, quas parens jure naturali et divino facere tenebatur.

17. Quod si tamen ex circumstantiis personæ suscipientis expositum, vel aliis conjecturis prudenter præsumi posset, illum ex mera charitate, misericordia, et liberalitate, sine ulla reflexione aliquando repetenti expensas, infantem assumpsisse (ut si sanguine junctus, vel valde dives, aut liberalis et virtuosus id facit) repetitioni locus non amplius foret; nisi ab initio protestatus esset, se velle sibi restitui. Pirhing, h. t. Ratio est, quia quod mere gratis tribuitur, repeti amplius nequit, arg. l. fin. *De revocand. donat.*

18. *Educantes expositum succedunt ei ab intestato.* — Resp. IV. Quicumque expositum infantem assumunt, et educant, id juris acquirunt, quod eidem (exclusis fisco, parentibus consanguineis tanquam indignis) ab intestato succedant, si absque descendentiibus decedens bona temporalia reliquit. *Surdus, de Aliment.* tit. XVI, q. 48, n. 49; Engel, h. t. n. 4, arg. *Novell.* 115, cap. III.

19. *Parentes agnoscere et assumere possunt filium, si ipsis invitit fuit ablati, et expositus.* — Resp. V. Quamvis parentes infantem exponentes illum repetere amplius nequeant, sed is statim fiat sui juris, et liberetur a patria potestate, in quantum sibi favorabile, juxta dicta n. 11. Si tamen ipsis ignorantibus, aut invitit infans ablati et expositus fuisset, eum pro suo agnoscere, et sibi iterum, ubicunque existat, assumere valent. Barbosa, in c. un. h. t. n. 6, cum communi, et certa aliorum. Ratio est, quia cum in tali casu parentes omni culpa vacent, retinent jus et patriam potestatem ad filium.

20. *Expositi habentur pro legitimis et capacibus ordinum, beneficiorum, officiorum, etc., non tamen canonicatum et dignitatum illarum, quæ ex fundatione vel statuto requirunt nobilitatem.* — Quæritur IV. Utrum infantes expositi habendi sint pro legitimis? Resp. Affirmative. Patet conclusio ex dictis lib. IV, tit. XVII, *Qui filii sint legitimi*. a n. 14. Quibus adde, quod licet propterea capaces sint ordinum, beneficiorum, dignitatum, officiorum, artium, etc. tamen capaces non sint canonicatum, dignitatum, et officiorum illorum, quæ ex fundatione, aut statuto requirunt nobilitatem: Tum quia licet præsumantur qualitates, quæ sunt necessariae ad excludendum peccatum, vel communiter insunt: tamen non præsumuntur aliæ qualitates, præsertim ex fundatione, aut statuto requisitæ. Barbosa, h. t.; Gonzalez, eod. n. 8, et alii.

21. *Quinam per languidos intelligantur?* — Quæritur V. Quid intelligatur per languidos et quid juris de languidis expositis? Resp. I. Per languidos ad propositum intelliguntur omnes illi, qui gravi, et diuturna præsertim vero perpetua, et incurabili detinentur infirmitate per quam ad labores, et quæcunque negotia, aut res gerendas inhabiles existunt. Barbosa, in c. un. h. t.; Pirhing, h. t. n. 3, arg. l. *Morbis*, 113, ff. *de Verh. signif.* patetque ex illo Joannis, cap. v, ibi: « Respondit ei languidas, » et Matth. iv: « Curavit languidos eorum. »

22. *Eorum expositio est graviter peccaminosa.* — Resp. II. Sicut infantum, ita et languidorum quorumcunque, et cujuscunque ætatis existant, est graviter prohibita, indeque graviter peccaminosa, expositio, si ab exponentibus languidi sustentari, et ali valent. Est communis, arg. c. un. h. t. l. *Sancimus*, 3, et l. fin. c. eod. Ratio est, quia quantum in ipsis est, occidere videntur languidos, arg. can. *Pasce*, 21, dist. 86.

23. *Si ab exponentibus sustentari valent.* — Dicitur autem notanter: « Si ab exponentibus languidi sustentari, et ali valent. » Nam si ob inopiam hoc præstare nequeant, a culpa immunes sunt, si aliorum pietati eos exponunt, sicut supra n. 6, de expositione infantum diximus.

24. *Parentes et domini prolem, vel servum exponentes, privantur patria, ac dominica potestate.* — Resp. III. Si domini servum languidum, aut parentes prolem septem annis majorem languidam culpabiliter exponunt, privantur patria, et dominica potestate, ita ut proles fiat sui juris, et servus acquirat plenam libertatem. Omnes claris juribus, cit. c. un. h. t. l. *Sancimus*, 3, et l. fin. c. eodem.

Infertur: parentes duplici via ad propositum privari patria potestate, videlicet primo, si infantem sive sanum, sive languidum, et secundo si prolem septennio majorem, languidam tamen exponunt; non item si prolem sanam septennio majorem exponunt, ut post Abbatem, h. t. n. 2, bene advertit Pirhing, h. t. n. 3.

25. *Dominus non tenetur ad magnas expensas pro cura famuli qua talis.* — Quæritur VI.

An, et qualiter teneatur dominus de necessaria cura, et alimentis providere famulo ægrotanti? Resp. Dominum non teneri ad magnas, sed tenues duntaxat expensas pro cura ægroti famuli, ratione famulatus. Ita cum communi Bartolus, in l. *Si cum dotem*, § *Sui autem*, ff. *Solutio matrim.* et in l. *In rebus comm.* Sylvester, § *Familia*, n. 4, et alii. Ratio est, quia cum ratione famulatus præstet ei competens salarium, ut supponitur, intuitu ejusdem ad magnas expensas adstringendus non videtur. Quamvis valde laudabile sit, si dominus bene habens pro cura famuli expensas subministret.

26. *Bene vero qua proximi. Pauper potest implorare judicem ecclesiasticum contra quemvis divitem, ut sibi subveniatur.* — Dicitur notanter ratione famulatus; quia ut proximo, etiam per majores expensas succurrere debet, si habet, et famulus pauper est. Sylvester, loc. cit. ubi addit, posse ægrotum famulum contra dominum, item etiam contra quemvis alium divitem implorare officium judicis saltem ecclesiastici, ut sibi ægroti, et pauperi subveniatur, arg. can. *Sicut*, 8, dist. 47, et ibi Glossa, § *Esuriendum*, id probans ex c. *Ad Apostolicam*, de *Simon*. Ratio patet, quia quivis tenetur pauperi in extrema, et gravi necessitate constituto subvenire de superfluis naturæ, vel status, prout amplius theologi.

27. *De mercede famuli ægroti. Remissive.* — Num autem, et qualiter teneatur dominus famulo ægrotanti pro tempore infirmitatis salarium, seu mercedem dare, habes lib. III, tit. XVIII, de *Locato, et conducto*, § 4, n. 99. (ADNOTATIO XXIII.)

TITULUS XII.

De homicidio voluntario, et casuali.

1. *Ratio ordinis.* — Quamvis alias prius de genere, quam de specie tractari soleat, tamen hic agitur de homicidio in genere, postquam propter criminis atrocitatem in præcedentibus titulis jam actum fuit de quibusdam homicidiis in specie, parricidii videlicet, et expositione infantium.

§ I.

DE NATURA, ET DIVISIONE HOMICIDII.

2. *Homicidium et pauperies, quid?* — Quæ-

ritur I. Quid, et quotuplex sit homicidium? Resp. I. Homicidium (sic dictum quasi cædes hominis, l. *Ita vulneratus*, 51, ff. a *Lege Aquil.* can. *Si homicidium*, 41, cau. 23, q. 8) est violenta exanimatio, seu occisio hominis ab homine facta. Ita in re communis, arg. cit. can. *Si homicidium*. Dicitur autem notanter ab homine; quia si homo a fera vel bruto necatur, proprie homicidium non dicitur, sed pauperies, per Rubr. et Text. *Instit.* et ff. *Si quadrupes pauperiem*, etc. Cæterum non refert, cujus ætatis, sexus, aut conditionis sit, qui occiditur; cujusvis enim occisio ab homine facta, verum est homicidium, l. 1, § 2, ff. et l. *Si quis*, 8, c. ad *Leg. Cornel. de Sicar.* ita ut etiam partus animati in utero adhuc existentis occisio, homicidium dicatur, l. *Necare*, 4, ff. de *Agnosc. lib.* et pœnis homicidii subjaceat, cit. l. *Si quis*, 8, c. ad *Leg. Cornel. de Sicar.* et dictum est supra.

3. *Homicidium aliud est voluntarium, et quidem directe, vel indirecte.* — Resp. II. Homicidium prima, et principali sua divisione communiter, præsertim a canonistis dividitur in voluntarium, et casuale, ut patet ex rubrica præsentis tituli. Voluntarium aliud est directe, aut indirecte tale. Homicidium directe voluntarium est, quod vere per se, ac directe intenditur, ut si quis animo et intentione occidendi hominem gladio transfigit, aut sclopeto trajicit illum. Indirecte, seu in causa voluntarium est, dum quis mortem alterius non intendit quidem, voluntarie tamen ponit talem causam, vel facit aliquid, ex quo mortem moraliter recte secuturam prævidet, ut si quis graviter percutiat, aut pedibus calcet prægnantem feminam et inde sequatur abortus; vel si in locum hominibus valde frequentatum exploditur sclopetum, et inde homo occiditur. Valensis, h. t. n. 2, cum communi.

4. *Aliud casuale?* — Homicidium casuale est, quod nec directe nec indirecte intenditur, sed præter omnem intentionem casu et fortuito accidit. Nam casus est causa agens præter intentionem secundum Aristotelem 2 *Physic.* ut si quis putans, sclopetum non esse oneratum, explodit ipsam, et explodendo præter omnem intentionem aliud occidit.

5. *Aliud justum et licitum (quod etiam necessarium dicitur) aliud illicitum, seu injustum et dolosum.* — Homicidium voluntarium subdividitur in licitum seu justum, et illicitum

seu injustum. Homicidium licitum seu justum (quod etiam homicidium necessarium a legistis communiter vocari solet) illud est, quod vel pro necessaria sui defensione servato moderamine inculpatae tutelæ, vel ex voluntate, aut præcepto superioris jus gladii habentis, vel jubente lege, consequenter etiam necessario, et vel inde juste ac licite fit. Homicidium e contra illicitum, seu injustum (quod etiam homicidium in specie, et homicidium dolosum nuncupatur) est, quod contra divinam, vel naturalem, vel humanam aliquam legem prohibentem animo et intentione occidendi malitiose fit.

6. *Illicitum varie subdividitur.* — Homicidium hoc illicitum et dolosum varias adhuc sub se species habet. Nam aliud est simplex, aliud qualificatum; et hoc aliud deliberatum, seu præmeditatum. Aliud ex insidiis; aliud proditorium; aliud assassinum; aliud sacrilegum; aliud parricidium; aliud veneficum.

7. *Aliud namque est simplex.* — Homicidium simplex est, quod contingit absque speciali aliqua mala qualitate et circumstantia, in rixa temere exorta, vel ex subito iræ impetu cum advertentia tamen rationis.

8. *Aliud qualificatum.* — Qualificatum est, quod circa modum occidendi locum, vel personam, specialem aliquam malam circumstantiam, vel qualitatem annexam habet: talia homicidia sunt.

9. *Idque aliud proditorium, aliud assassinum.* — Homicidium proditorium, et homicidium assassinum, de quorum natura, et effectu fuse diximus supra lib. III, tit. XLIX, de *Immunitat. ecclesiast.* § 7.

10. *Aliud sacrilegum.* — Homicidium sacrilegum est, cum quis personam sacram, puta sacerdotem, religiosum, vel profanam in loco sacro occidit.

11. *Aliud parricidium.* — Homicidium parricidium, si quis videlicet parentes, liberos, aut sanguine junctos occidit, juxta dicta supra tit. X, n. 2.

12. *Aliud veneficum.* — Homicidium veneficum, seu veneficium est, si quis venenum causa occidendi dat, vel propinat, eoque occidit.

13. *Aliud ex insidiis.* — Homicidium ex insidiis, dum quis scilicet inimicum suum occulte in certo loco exspectat, et nil exspectantem, nil prævidentem subito ex improvviso occidit.

14. *Omne homicidium deliberatum, et præ-*

meditatum est etiam homicidium qualificatum.

— Tandem tale qualificatum homicidium est, et dici potest omne homicidium deliberatum seu præmeditatum, quod videlicet sedato jam iracundiæ calore, plena animi deliberatione prævia, seu vere præmeditate fit. De quibus omnibus amplius criminalistæ. Hic sufficiat naturam illorum breviter adduxisse, quia pro diversitate illorum, diversæ sunt, atque exasperantur, et temperantur pœnæ, prout partim ex dictis jam constat, partim ex dicendis patebit.

15. *Homicidium casuale, aliud est culpabile seu culposum; aliud mere casuale et inculposum.* — Homicidium casuale pariter subdividitur in culpabile, seu culposum, et mere casuale, seu inculposum. Illud est, quod quidem præter omnem voluntatem, aliqua tamen interveniente culpa fit: ut si quis dat operam rei illicitæ, ex qua mors alterius sequitur; etsi ad eam evitandam, operans, omnem adhibuerit diligentiam: vel si quis dat operam rei licitæ tali cum negligentia, aut imperitia, ut mors exinde alterius proveniat. Vide Carpz. *prax. crim.* q. 27, num. 8. Mere Casuale, seu inculposum (quod propriissime casuale est) dicitur, quod prorsus inopinato et fortuito, penitus nulla culpa et nullo dolo interveniente contingit.

§ II.

DE HOMICIDIO VOLUNTARIO ILLICITO, SEU INJUSTO, ET PŒNIS ILLIUS: UBI DE INJUSTA VULNERATIONE ET MUTILATIONE PŒNISQUE ILLIUS.

16. *Homicidii voluntarii injusti pœna est mors, tam de lege divina.* — Quæritur I. Quæ sit pœna homicidii voluntarii injusti? Resp. I. Quodvis homicidium injustum lege divina, et humana civili pœnam mortis secum trahit. Communis ac certa, et quidem de lege divina constat tam ex Antiquo, quam Novo Testamento; nam Genes. cap. ix, § 6, dicitur: Quicumque effuderit humanum sanguinem, effundetur sanguis illius: et Levit. cap. xxiv, § 17, qui percusserit, et occiderit hominem, morte moriatur. Dein Matth. cap. xxvi, § 52. Omnes, qui gladium acceperint, eoque percusserint, gladium peribunt: et Apocalyps. c. xiii, § 10, qui gladio occiderit, oportet eum gladio occidi.

17. *Quam civili humana.* — De lege civili patet ex § *Item lex Cornelia 5. Institut. de Public.* juncta, l. un. § *Et merito*, C. de